

cum exercitu permanserit, quatenus in exilium Cicero discederet.

Gener, et Piso gener.

§ 54.

Non otiose additamentum nominis fecit, in invidiam
5 scilicet L. Pisonis, qui nec propinquitate commotus ad-
fini suo temperavit.

Legum cum earum quae latae, tum vero quae § 55.
promulgatae fuerunt.

Saepe hanc ostendi promulgatae legis et latae dif-
10 ferentiam. Nam trinundino proponebantur, ut in notitiam
populi pervenirent: quo exacto tempore ferebant iuris
validi firmitatem.

Ut censoria notio.

Clodianarum legum facit enumerationem, quarum fuit
15 et haec: ne liceret censori praeterire aliquem in senatu
recitando, nisi eum, quem damnatum esse constaret.

Ut remissis senis et trientibus quinta prope
pars vectigalium tolleretur.

Antea quidem Gracchus legem tulerat, ut populus pro
20 frumento, quod sibi publice daretur, in singulos modios
senos aeris et trientes pretii nomine exsolveret. Sed hic
anno suo P. <Clodius tr. pl.> frumentariam legem tulit, ut